



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Virtutibus Moralibus, De Justitia Et Jure Et De  
Contractibus

**Antoine, Paul-Gabriel**

**Ingolstadii, MDCCXXXIII.**

**VD18 90392159**

Q. 12. An licet credita, Chirographa, & census minoris emere, quàm  
continent, v. g. an jus ad centum nummos solvendo intra annum emi  
potest numeratis tantum nonaginta?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40993**

quo tradentur, nam aliàs emptor damnum pateret.

*Not.* Mercatoribus, qui credito vendunt merces, non licet plerumque aliquid supra justum pretium exigere ob lucrum cessans: quia raro lucrum eis ideo cessat, imò ordinariè augetur: nam sic vendendo, plures emptores habent, & plures merces vendunt, quam si exigent solutionem presentem, & liberi sunt à periculo, & labore conservandi merces.

**Q. 12.** *An licet credita, Chirographa, & census minoris emere, quàm contineant, v. g. an jus ad centum nummos solvendos intra annum emi potest numeratis tantum nonaginta?*

*Resp. I.* Si hæc sint litigiosa, vel si eorum solutio sit incerta, aut cum difficultate, ac molestiis exigenda, ex communi licitè emuntur minoris, quàm contineant: nam tunc in æstimatione communi minùs valent. Hinc ex. l. minùs. ff. de reg. jur. *minùs est actionem habere, quàm rem, quæ scilicet certò, & sine molestiis, ac sumptibus haberi nequit.* Idem dic, si ex tali emptione lucrum cesset, vel damnum oriatur ementi. Non licet tamen ipsis debitoribus ea debita minoris emere, cum sint causa eorum minoris æstimabilitatis, & teneantur ad integram solutionem. Quæstores verò publici, & ii quibus incumbit aliorum debita

bita solvere, si cum creditoribus durè, ac molestè agant, ut ad creditum ipsis vel eorum amicis vendendum adigant, tenentur ad restitutionem; cum sint causa injusta difficultatis solutionis, & damni.

*Resp. II.* Seclulo lucro cessante, vel damno emergente, non licet credita, & Chirographa liquida, ac securam minoris emere, quam contineant. *Est communis. teste De Lugo. Prob.* Quia non servaretur æqualitas pretii cum re emptæ, nam minoris emeretur creditum, quam valet. Jus enim ad debitum liquidum mille aureorum exigendum, & certò recipiendum sine difficultate, ac molestiâ valet mille aureos: nam si debitum illud, quod emittitur, non esset exigendum post annum, sed nunc, idque sine ulla difficultate, molestiâ, ac damno, non potest dici non valere mille aureos: at ob solam dilationem temporis non potest minui ejus valor, alioqui usura esset licita. Præterea mille aurei certò in futurum solvendi tanti valent, quanti mille præsentis, ut constat ex propos. 41. ab Innoc. XI. damnata.

Ob eandem rationem non licet census jam constitutos nulli periculo expositos emere infra pretium lege vigente taxatum. Alioqui emerentur vilius justo, cum pretium legitimum sit indivisibile, & census jam constitutus nulli periculo, ac difficultati expositus tanti valeat, quanti novus. Quòd si lex sit abrogata per consuetudinem legitime præscriptam,

vel

vel revocata ex consensu saltem tacito Principis, ita ut census constitutus habeat pretium vulgare, (ut varii dicunt ex consuetudine habere) potest emi infimo pretio census, qui summo venditus fuit, cum utrumque justum sit. Non tamen potest redimi à vendente nisi eo, quo emptus est pretio: quia ad justam venditionem cum pacto retrovendendi requiritur, ut venditor idem pretium ab emptore datum reddat, cum hoc pactum sit simile pacto rescindendi contractum.

Q. 13. *Ad quid tenetur, qui falsam monetam pro vera ignoranter tradidit?*

Resp. Tenetur ubi id novit, veram tradere, vel si non potest, rescindere contractum: quia rem dedit intrinsecè, ac substantialiter vitiosam, & se obligavit ad dandam veram monetam. Item fuit error circa substantiam monetæ, quæ est materia contractûs, & alioqui esset inæqualitas, quæ ubi innotescit reduci debet ad æqualitatem, ne fiat injuria.

Q. 14. *An licet vendere res defectuosas, vel mixtas?*

Resp. *Ex communi D. D. sententia*, peccat contra justitiam, & tenetur ad restitutionem.

1. Qui scienter vendit rem vitiosam sive in substantia, tunc enim contractus est etiam nullus,